GRATITUDINIS LEVIDENSE INDICIUM,

QUOD

NUPTIIS,

VIRI CLARISSIMI,

DN. MARTINI PROXII,

Gymnasii Thoruniensis Professoris ac Visitatoris merentissimi,

PRÆCEPTORIS HONORATISSIMI;

Cum

MATRONA VIRTUTIBUS CONSPICUA,

MARGARETA SEIDELIA,

SDUNI POLONORUM,

Anno M. DC. LXX. D. XXIX. Aprilis

CELEBRANDIS,

sistunt

Quidam Primæ Classis Auditores.



THORUNII

Excusum â JOHANNE COEPSELIO,

GYMNASII TYPOGRAPHO.

JUngite ꝯcordes mansura in fœdera dextras,
Cœlicolæ assensu gaudia vestra beent!
Jungite io dextras. Optatam ducite vitam!
Vivite fœlices atqve vigete diu!
Joh. Georg. à Jonaw, *Nob. Sil.*

MARTINUS, MARGARETA
ἀναγραμμ.
MIRA SUNT: ERAM GRATA.
SPONSA alloqvitur SPONSUM.

DILeCte ProXI, gratIorne sVM tIbI?
SVnt, Ipsa DICO, MIra prorsVs IVbILa;
QVoD grata Sponsa nVnC VIrI sIM nobILIs,
QVæ ConIUGI prIUs fIDeLI grata eraM.
Daniel Schelguigius, *Gur. Sil.*

FAs est devotô, VIR Præ-Clarissime, *votô*
Atqve metrô tædas condecorare tuas.
Ut Latona beet natis, Dea Cypris amore,
Juppiter innumeris vos, precor, usq; bonis!
Henricus Mey, *Ragnit. Pruss.*

QVis novitate rei non est perculsus in urbe?
PROXIUS est subitò factus conchyta, relictô
Aonidum sceptrô, rabies dum murmure cœli
Horrescit rigidô furibunda: Nec excidit ausis,
Candidulam inveniens concham, lepidamq; bonamq;
O igitur læti, cives, nunc dicite mecum:
Diva Pruina riget concham, qvo vivida crescat!
Johann. Haaß/ *Glog. Siles.*

Dum

DUm nunc auſpiciis bonis celebras
Tædas, & lepidam tibi Maritam
Junges, ipſe etiam meos Phaleucos
Effictos gracili licet Camænâ
Conjungo reliqvis, precorqve: prorſus
Fœlix, ſit thalamus, ſit usq; fœlix!

Joh. Gothofr. Steltzner, *Leſn. Pol.*

MARTINUS PROXIUS, MARGARETA HYLLERIA
juncto Anagrammate.

ILLI SPIRÆ! NAM ARTEM URIS GRATA UXOR.

CAſtalides Muſæ divini culmina Pindi
Quæ colitis, laurum vos rogo ferte citi:
Quô veſtrum tandem pretiô redimetis alumnum?
Spiræ illi *veniant floribus egregiis.*
Nam *celebrat mecum felici ſidere tædas,*
Artem *qvi inſtillat;* gratior uxor, *ait:*
Flagro; me nimium nunc caſtis ignibus uris.
Vivite concordes: hoc mea Muſa vovet.

Gerhardus Gerhardi, *Thorun. Pruſſ.*

MAn ſagt die Venus ſey vom Perlē-Schaum entſproſſen
Der auff der wilden See bey Cypern hergefloſſen:
Nun weil/ Herr Bräutgam Er/ nicht nur den leichten
Schaum
Vielmehr der Perlen Kern bekomt/ ſo glaub' ich kaum
Daß Ihr die Venus ſelbſt nicht ſolt in vielen weichen:
Sie iſt in Wahrheit ja der Daphne zu vergleichen
An Keuſchheit und Verſtand; drum bild' ich mir faſt ein/
(Vernunft die bringt es mit) Sie muß die beſte ſeyn.

Joh. Krieger/ von Thorn aus Preuſſen.

Be-

Beglükket sey die Stund'/ in welcher ist erwählet/
Dem Hochbeliebten Sohn der Musen eine Braut.
Beglükket sey die Stund / in der ihm wird vermählet
Der rechte Tugend-Sitz / das süsse Hertzens-Kraut.

Joh. Christoph. Walter, *Neo-Stet. Pom.*

Votum cum reliqvis fero,
Ne ingratus videar forsitan omnibus:
Et mente & calamô precans;
Hoc sit conjugium nectare svavius!

Joh. Dlugos, *Lesn. Polon.*

MARTINUS PROXIUS ἀναγραμ. MUSIS NOX RAPITUR.

Captus erat postqvam moderamine lucis Apollo,
Constituit Musis nocte præesse sacris.
Aonidum ast pullos Hymen dum suscitat atra
Nocte, piis Musis nox *etiam* rapitur.

Paul. Christ. Bruñemañus, *Francof. March.*

COnjugio jungis tibi nunc, Præceptor amande,
Sponsam: Sancta TRIAS qvod benè vertat opus.
Vivite felices longævam ducite vitam,
Sit sine labe domus, stet sine lite thorus!

Johannes Cnorr, *Glog. Sil.*

FElix qvem fausti non fallit gloria finis,
Ob finem siqvidem qvodlibet incipimus.
Ut factum ex votô tibi cedat, Sponse Colende,
Conjugii finem ut participes, voveo.

Georg. Sigism. à Jonaw, *Nob. Sil.*

EN! Hymenæus adest; jam Musæ fausta precantur,
Pro Vestrâ, his jungo, vota salute mea.

Alexander Tellior, *Cöslino Pom*

POst tot sudores exantlatosq; labores,
Gemma tibi Conjux, VIR Venerande, *datur.*
Qvam precor ut multos Numen tibi servet in annos,
Conjugioq; tuo prospera qvæqve fluant!

Nathanael Rubach, *Cöslin. Pomer.*

VIvite felices, cornicum vivite in annos,
Vivite concordes, sitq; parata qvies.

Nicol. Zichardus, *Bergâ-Rugianus.*

L*Ætor, qvod Sponsam ducis probitate nitentem:*
Eveniant vobis dulcia fata precor.

Johannes Cnöffelius, *Budiss. Lus.*

Ad NEONYMPHOS.

AUspice dum Christo socialia sacra paratis,
Apprecor, egregio, gaudia mille, thoro.

David Zöller, *Thorun. Pruss.*

S*Ponsam, (dum Veneris combustus in ignibus hæres,)*
Associat lateri summus Jova tuo.
Gratulor ex animo Sponsam tibi, Sponse colende,
Et precor ut vester non sterilescat amor.

Christoph. Vierhoff. *Lub. Lus.*

DUm tibi, Sponse, piam adjungis, clarissime, Sponsam.
Gratulor: & cæptis prosperà qvæq; precor.

Georg Westerus, *Lapide Trans.*

T*E, PRoxi, gratô dotavit munere Numen*
Conjuge, qvæ casta est, qvæ scit amare DEum.

Num

Nam certè Conjux tranqvilla & voce decorâ
Gloria, delicium est, atq́ corona viro.

Joh. Everbec *Mariæburg. Pruss.*

EUge! Deus cœptis cœlo benedicat ab alto!
Sic vobis finis, prospera qvæq; dabit.

Ki Isten nevében az kezdetését tészen
Annak jo szerenchés, és boldogh vége lészen

Jacobus Thunya, *Ginstensis Hungarus.*

MUlta solent alii cupientibus addere vota
Legitimi sacrum fœdus inire thori;
Ast ego despretis longis ambagibus, utar
Perpaucis, tua quæ cæpta beare queant.
Pax, Pietas, Fortuna thorum, mentemq́ domumq́
Ornet, alat, decoret, prole, salute, bonis.

Joh. Czimmermannus, *Thor. Pruss.*

SPonsa venit, Neonymphe, sacræ pietatis imago,
Norma pudicitiæ; sponsa modesta venit.
O veniat fœlix etiam benedictio Christi,
Sic venient vestro pignora chara thoro.

Gerhard. Thomas, *Thor. Pruss.*

MARTINUS PROCSIUS. MARGARETA SEIDELIA
ἀναγραμμ.
EN RISUS! REGIT AMOR PIUS. LIS AMARA CEDAT.

P*Ar* pius en regit *hoc* amor, *hinc* lis cedat amara,
Succedat risus perpetuusq; siet.

A. B. H. Gl. Sil.

VIR

VIR Venerande, Tibi meritos jam grator honores
Ad cœptum, nuper connubiale jugum.
Cum eos ſuperes annos cum Conjuge dulci,
Hæc optat verbis, nunc mea Muſa, piis.

Andreas Baumgarten, *Thor. Pruſ.*

COnjugium DEUS haud curat, nec provehit ullum,
Auſpicium qvod non à pietate capit.
Illius ergo tibi auſpiciô precor omnia fauſta,
Ominor & thalamis fœdera fauſta tuis.

Theoph. Nic. Rubach, *Schifel. Neo-March.*

ESt nitidis gemmis & fulvo charior aurô
Inſigni decorans uxor honore domum.
Vir Præclare, tibi contingit fœmina talis,
Te fortunatum qvis neget ergò virum?

Andreas Hoffman, *Leſnâ Polon.*

Α'Υξάνετ'. ὮΜΟΖΥΓΟΙ, ζῶντες τοῦ Νέστορος ἔτη.
Εἰρήνης ἔροτος τ' ἔμπλεος ἦ θάλαμος!

Joh. Bartholdus, *Morin. Neo-March.*

EN Trintſchas bun! voi Domnulſſeu,
Fa nunte ku Nevaſt alten.
Tri ſille mult moy Merten moy.
Lá kaar altennu ebi nè voy.

Andreas Fridſmanus, *Belgatio-Tranſſyl.*

Exiti-

EXitialis Erys procul abſit; ſcandite caſtum
Sidere felici thalamum; Spernatis amorem
Mendacem, verſent ſub pectore jubila fauſta,
Perpetuò ſecura qvies, concordia, vita
Neſcia triſtari, circumſtent limina veſtra.
Auctor Conjugii ſummus mea vota ſecundet!

Michael Kluge, *Oſtroda Pruſſ.*

PRoxi ſat probitas morum & doctrina coruſcat;
Hinc qvoq; penduntur præmia digna Tibi.
Gratulor ex animô: DEus hos æternet honores,
Et ſint conjugii fauſta brabeia Tui.

Gəorg Braband, *Heilig. Pruſſ.*

O DEus interſis thalamis his flamine ſancto,
Et verbo nectas vincula ſancta tuo.

Georg Schrader, *Dantiſc. Pruſſ.*

DUm video ſocios paſſim tibi pangere carmen
Atq; optare thoro proſpera qvæq; tuo:
Poſtulat officium votis qvoq; jungere vota:
Ergo cum charâ conjuge vive diu!

Chriſt. Gerlachius, *Vratisl. Sil.*

OMine felici ſtructos mea Muſa jugales
Nunc thalamos reſones, nunc pia vota feras.
Felices ſponſo tribuat clementia Jovæ
Annos, & dudum neſcia fata mori.

Johan Auſten, *Thor. Pruſſ.*